



Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 9. Qui paupertatem putent etiam esse gloriosam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem inuolutum estimas? Mangones, quidquid est, quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt. Itaq; ementibus ornamenta ipsa specta sunt: siue crus alligatum, siue brachium adspiceres, nudari iuberes, & ipsum tibi corpus ostendi. Vides illum Scythia Sarmatiæ regem, insigni capitis decorum? si vis illum estimare, totumq; scire, qualis sit? fasciam solue. Multum mali sub illa latet. Quid de alijs loquor? Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipsum considera. Nunc qualis sis, alijs credis. Hæc ille. cui, sicut & ceteris recensitis, magis utique placet penuria, quam abundantia. Et hoc ob animi pacem, quæ ibi maior est, ubi pecunia est minor.

§. IX.

Qui paupertatem putent etiam esse gloriosam?

Christus Seruator, & Christiani, ob longè altiores caussas, diuitijs paupertatem anteposuerunt, suo loco indicandas. Hic sufficit illud apponere, quod Ethnicis paupertatem, adeoque & vilitatem Christiano gregi obijcientibus, M. Minutius Felix respondit. Ceterum, quod pleriq; pauperes dicimus,

M. Minut. Fel.
in Octa-
wie.

mur, non est infamia nostra, sed gloria. Animus
 enim ut luxus soluitur, ita frugalitate firmatur.
 Et tamen quis potest pauper esse, qui non eget,
 qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Ma-
 gis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura
 desiderat. Dicam tandem quemadmodum sen-
 tio: nemo tam pauper potest esse, quam natus
 est. Aues sine patrimonio viuunt, & in diem pa-
 scua pascuntur: & haec nobis tamen nata sunt:
 quae omnia si non concupiscimus, possidemus. Igi-
 tur, ut qui viam terit, eò felicior, quò leuior in-
 cedit: ita beatior in hoc itinere vinendi, qui pau-
 pertate se subleuat, non sub diuitiarum onere
 suspirat. Et tamen facultates, si utiles putare-
 mus, a Deo posceremus utique. indulgere posset
 aliquantum, cuius est totum. Sed nos contemne-
 re malumus opes, quam continere: innocentiam
 magis cupimus, magis patientiam flagita-
 mus: malumus nos bonos esse, quam prodigos.

§. X.

Miseria eorum, qui a grè ferunt, sibi aliquid de-
 esse, & Plutum, ut Deum, adorant.

Ex triplici hac hominum classe, tria licet
 colligere. Ex prima, quia sunt qui egent,
 sed inuiti, eam ipsam ob caussam eos meri-
 tò egere, vt doleant, quia volunt inde do-
 lere, vnde alij commodum accipiunt, alij